

Belov (sive Albanus) A.

De accentus Graeci regula ad monosyllabas pertinenti

[Stable URL: <http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/handle/123456789/3436>]

[**Публикация работы:**]

Belov (sive Albanus) A. 2010: De accentus Graeci regula ad monosyllabas pertinenti // Аристей: Вестник классической филологии и античной истории. 2, 9-14.



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ
ЯРОСЛАВСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGS- UND
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL
YAROSLAWL, RUSSLAND



РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ АНТИКОВЕДОВ
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION
“THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES”
YAROSLAVL BRANCH



ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY



Alexius Belov (sive Albanus)

Academiae Mosquensis Elisabethanae Lomonosouianaе socius

DE ACCENTVS GRAECI REGVLA
AD MONOSYLLABAS PERTINENTI

Cum nonnulla lexica Graeca, in quibus (LSJ, Kretchmer & Locker 1944/1977) oculis percurrerem, nec non *Diogene*, electronico inquirendi systemate in TLG-E textuum corpore uterer, regulam quandam notaui, ut *nulla in Graeca antiqua lingua, plerumque in eius dialecto Attica, uox habeatur monosyllabica, quae in duplicem consonantem /-ks/, /-ps/ exeat eiusque diphthongus naturalis aut monophthongus productus similiter circumflectatur*. Quae regula, praeter unam formam $\theta\rho\tilde{\alpha}\xi$, in qua non naturalem diphthongum fuisse constat, tamen contractum (quod ex iota subscripto plane liquet), adeo constanter apud antiquos obseruari uidetur, ut omnes casus singulares, in quibus circumflexum uariis in libris lexicisque reperimus, ex textologia, non ex phonologia explanare debeamus.

Non igitur dubitandum esse mihi uidetur, quin hic legem quandam prosodicam habeamus, quae certissime obstat ne in monosyllabis uocibus duo finales consonantes et circumflexus eodem tempore exstant. Id tamen eo magis inopinatum uideri potest, quod eae accentus Graeci regulae, quas a plerisque recentioris aetatis grammaticis receperimus (e.g. Соболевский 2000/1948; Тронский 1962), nihil nobis, quomodo finales consonantes omnino accentus locum determinare possint, tradunt.

Quam ob rem si hoc aenigma re uera soluere uolumus, plura ut ita dicam facta, cum ipsius Graecae linguae, tum alia, a typologis hodiernis reperta, huc adducere debemus.

In primis quidem id nobis est notandum, quod (praeter alios) nonnulli grammatici acutiores iique ab aliis paene neglecti (in quibus, Göttling 1835; Misteli 1868; Smyth 1920: 39) id interdum dixerunt, quod duo consonantes, in extremis uocabilis plerumque compositis stantes, accentus acuti locum ita retinere possent, ut nulla

proparoxytona eius generis exstarent. Iam recentiore tempore id Donca Steriade, doctissima mulier Americana affirmavit (Steriade 1982; 1988) fuitque sola, quae ad illud grauissimum – accentus acuti positionem ab extremis consonantibus dependere – denuo aliorum philologorum animos aduertit. Secundum Steriaden, in compositis Graecis, cum eis, quae ‘bahuvrihi’ nominat, tum in ‘synthetic compounds’, accentum non posse haberi longius, quam in secunda syllaba a fine, si ipsa uox in ‘duplicem consonantem’ exeat. Quam ob rem tales haberi formas, ut πολυπίδαξ, ποικιλοφόρμιγξ, ποικιλόθριξ, πολυάντραξ, φιλοκόλαξ, φιλοσπέλυγξ, φιλόρτυξ, λιπόθριξ, cum si aliter, i.e. in unum consonantem, uox exeat, πολύναιος, πολύβοτρος, ποικιλόφωνος, ποικιλόστολος, λιπόσαρκος, φιλόξενος etc. esse possint. Eandem regulam etiam in simplicibus uocabulis obseruari, ut Καππάδοξ, in quibus, si Steriaden sequimur, non liceat analogiam (ut Bally 1945, Kurylowicz 1958) suspicari, nec non in uocabulis particula postpositiua *-nt- factis, ut παιδεῦον (*παιδευοντ), χαρίεν (*χαριεντ): cf. ἰκέτις (< *ἰκέτιδς), in quibus accentus locus duabus antiquioribus consonantibus postea simplicificatis bene explanetur.

Haec Steriades etiam et alii ‘glossologiae generatiuae’ studiosi acceperunt (Sauzet 1989, Golston 1990, Kiparsky 2003), ex quorum manibus nunc in classicae philologiae usum, nouissimum in librum Oxoniensem a Philomena Probert (2006) conscriptum, feliciter reuerterunt. Quorum tamen doctorum nemo aliquid noui Steriades regulae addere ausus est.

Ego quidem talibus cogitationibus admodum commotus meo proprio studio suscepto – cuius fructus, pro dolor, nondum expressis uerbis luci prodierunt (Белов (in prelo)) – non solum Doncae Steriade consentiendum esse censeo, tamen nonnulla mea eius regulae addenda: nam duo consonantes in extrema uoce stantes non solum acuti accentus, sed etiam circumflexi locum retinere solent. Quae res eo inter alia in opere meo citato demonstratur, quod nonnullae uoces, in eis quae ad accentum pertinent, admodum dubiae – ut φοῖνιξ, πίδαξ, κῆρυξ et ceterae tales – re uera acutum habuerunt accentum et ea de causa φοῖνιξ, πίδαξ, κίρυξ scribendae sunt. Id enim cum ex uariis textuum lectionibus affirmatur, tum quoque antiquorum grammaticorum sententiis singularibus illustratur (*Herod.* De prosod. cath. 3, 1, 524; 3, 2, 9 Lenz; *Choerob.* Theod. 223, 22; *Arcad.* 158, 1). Hic tamen notandum esse acutum accentum talibus in uocibus non propter phonologicam (suo sensu) uocalium quarundam correptionem oriri, quod in nominatiuo expectari possit, sed propter eam regulam solam ex duobus consonantibus accentus locum determinantem. Quae facta a me obseruata aptissime cum sententiis ab H. Ahrens et Ph. Probert editis (Ahrens 1839–1843, II: 28–29; Probert 2006: 71–72) congruuntur, secundum quos nonnullas formas in Dorica dialecto ut ἐδώκαν, ἐλέγον accentum in secunda syllaba habere propterea quod antiquiore tempore is duobus consonantibus, postea simplicificatis retentus esset: Doricam ἐδώκαν (< *ἐδώκαντ) igitur Atticae ἔδωσαν correspondere (‘dederunt’), illam ἐλέγον (< *ἐλέγοντ) huic ἔλεγον (‘dicebant’). Posteriore qui-

dem tempore ueteris accentus locus apud Doricos ut ita dicam secundum traditionem seruatus est, cum in dialecto Attica lex trium syllabarum denuo sit ei applicata.

In recentioribus meis operibus (Белов 2005; 2008; 2009) theoriam quandam generalem proposui, quae ad *syllabarum pollaplasian* pertinet. Pollaplasian autem eam rem (siue phenomenon) uoco, quae interdum uariis in linguis occurrit, ut duo (siue rarissime tria) syllabarum genera regulis phonologicis discernantur: longiores et breuiores, quorum breues simplices, longae tamen multiplae (graec. πολλαπλάσιοι) definiantur atque quaeque longa rhythmice quodam modo aequa sit duabus (rarissime tribus) syllabis breuibus. Elementum quidem phonologicum, quo multiplae syllabae simplicibus discernantur, antiqui *tempus*, nos *moram* nuncupamus; itaque in Graeca lingua longae syllabae binas moras habent, breues autem singulas.

At tamen ipsae morae quoque duorum generum esse possunt: sunt enim ut ita dicam morae syllabicae et morae uocales: syllabicas eas nomino, quae abstractiores sunt eoque solum syllabas discernant, quod in aliqua duae sunt, in aliqua una; uocales tamen magis ad rem enuntiandi pertinent eaeque particularis syllabicarum species est, quae altera post alteram enuntientur atque recipiantur, quapropter syllaba, talibus moris confecta, in duas rhythmicas partes diuidi potest. In Latina lingua florentis aetatis uocales moras defuisse puto; in Graeca autem aut in extrema syllaba (si longa erat), aut, si illa minus, in ea, quae productum uocalem sub accentum habebat, occurrebant et eae quidem accentus Graeci locum naturamque determinabant, nam accentus non longius, quam in tertia uocali mora a fine stare poterat. (Quae regulae in (Белов 2009: 134–142) quaerendae sunt.)

Nunc igitur, si hac theoria instructi accentum Graecum obseruemus, id certissime uideamus, quod in aliquo historiae periodo quaeque longa syllaba, i.e. quaeque binas moras syllabicas in se retinens, in positione extrema semper etiam binas uocales moras in se condebat. Et cum Dorici regulam eam iam antiquitus amiserunt ut acuti recessiui locus consonantibus simplicifatis usu traditionis seruatus esset, in Attica dialecto eam etiam historica aetate optime se habentem uidemus. Quam ob rem nihil aliud restat, nisi tale paradoxum agnoscere: *in extrema Attica uoce non tantum diphthongum uel monopthongum productum, sed etiam duos consonantes* – quorum una semper /s/, qui consonans plus temporis sibi poscit – *duarum uocalium morarum seriem effecisse.*

Hanc sententiam facillime accipere possumus, cum extremas syllabas aut tantum monopthongo producto (δύρων, φώς, φῶς), aut tantum duobus consonantibus confectas obseruamus (Καππάδοξ); sed quomodo uoces ut κλώψ /klo:ps/ ‘fur’ explanandae sunt? Acerrimam enim difficultatem ea de causa occurrimus, quod nullam Graecam syllabam *tribus moris* constare scimus; quam ob rem nobis opus est morarum limitem in syllaba distinguendo nec non, quomodo (phonetice) hae syllabae enuntiandae sint, explanando.

Hanc explanationem apud eos, qui nunc typologi dicuntur, inuenimus.

In primis igitur notandum est opus a tribus studiosis mulieribus Americanis conscriptum (Broselow, Chen & Huffman 1997), quae phenomenon longarum breuiumque syllabarum in eis linguis, in quibus earum discrimen regulis phonologiae affirmatur, ex temporis interuallis ad uocales consonantesque enuntiandos necessariis explanare conatae sunt; quo in opere auctrices hypothesin "*morae distributae*" (Anglice: *mora sharing*) satis firmis argumentis fretam edixerunt.

Ratione quidem huius generis utuntur Americanae.

In lingua Indica (Hindi) tria esse syllabarum genera: breues (CV), longas (CVV/CVC) et longissimas (CVVC/CVCC), quarum discrimen certissime ex phonologia sit: etiam admodum perspicuum uideri omnem syllabicae codae consonantem unam moram toti syllabae quantitatis addere; idcirca syllabas aut unius, aut duarum, aut trium morarum esse.

In Drauidica Malayalam lingua consonantes finales uice uersa moram afferre numquam; quod inter omnia eo demonstrari, quod quantitas syllabarum solum de uocalium quantitate dependeat: si uocalis correptus sit, syllaba breuis fiat (species CV, CVC, CVCC occurrere), si producta longae fiant (CVV, CVVC).

Si nunc accipiatur mora ex tempore ad uocalem consonantemue enuntiandum sumpto oriri, haec euidetur expectandum esse:

1. In Hindi, cum omnis codae consonans moram suam habeat triumque morarum syllabae admittantur, additum syllabae consonantem uocali producendo non obstare, ut uocalis in aperta syllaba tantum temporis poscat, quantum in uno consonante operta: i.e. $VV = VVC > V = VC$ (p. 51).

2. In Malayalam autem, uice uersa, syllabas in primis discerni uocalium quantitate, easque syllabas longitudinem comparabilem (ex condicione) habere necesse – ita, ut uocalis ante consonantem (in opertis syllabis) paulum corripiendus sit: $VV > VVC > V > VC$. Quod si ita sit, alteram syllabae moram inter uocalem et consonantem distribuendam.

3. Quod ad consonantes attingat, eos in utraque lingua eodem more se habere necesse atque comparabile tempus, quod de uocalibus non dependeat, sibi poscere.

Experimentorum series, quam auctrices susceperunt, haec omnia proposita affirmavit (Broselow, Chen & Huffman 1997: 53): in Hindi tempora cum uocalium tum consonantium paene eadem, cum in Malayalam consonantes inter se aequi sint, uocales tamen in opertis syllabis admodum corripiantur.

Denique ad Arabicas dialectos peruenimus, quarum phonologicae regulae alio modo consonantes pertractant.

In dialectis Arabicis Lebantinis syllabae aut unius (breues) aut duarum (longae), sed non trium morarum esse possunt, in quibus CV breuium species, CVV, CVC,

CVVC longarum. In CVVC syllabis uocalis, ut apparet, “communem” cum sequenti consonante moram habet, nam aliter aut syllaba tres moras haberet, aut productus uocalis apophonice corripere. Scilicet correpti uocalis tempus idem semper esse solet, cum productus ante consonantem minus sonet, quam in aperta syllaba; etiam et consonans post correptum uocalem plus sonat, quam is, qui post productum. I.e. : $VV > VVC > V = VC$ и $VVC < VC$.

Quod de Aegypti Arabica dicendum, eius “longissimae” syllabae (CVVC), si non in uocis fine stant, in CVC corripitur earumque producti uocales apophoniam phonologicam perpeti solent: i.e. productus earum uocalis in correptum apophonice mutari solet. Hic casus eo modo explanandus est, quod consonantes syllabas operientes, ubicumque stent, comparabile enuntiandi tempus habent (Broselow, Chen & Huffman 1997: 61).

Nobis igitur ea, quae auctrices Americanae reppererunt, maxime prodest: nam ex regulis a typologis inuentis, nobis fingere possumus, quomodo uocales consonantesque Graeci ac Latini uariis in syllabis se habere potuerint, quasque mutationes perpeti – cum ex phonologia tum ex phonetica – soliti sint.

Graecam quidem, quae longissimis syllabis fauebat sed non plus duabus moris eis attribuebat, Arabicae Lebantinae similem esse uidemus, quam ob rem cum consonantis tum uocalis correptionem phoneticam talibus in syllabis suspicari licet. Quod si ita est, omnes monosyllabae, quae ex phonologia productum diphthongum uel monophthongum in aperta syllaba habeant, eius uocalem ex positione admodum (phonetice) corripunt atque secundam syllabae moram inter uocalem et consonantem distribuunt: *at tamen talis mora nullo modo accentum recipere posse uidetur et ea de causa syllabae, in quibus una mora ita distribuitur, non possunt omnino circumflecti*. Re uera: tum solum circumflexus phonologici systematis pars est, cum acuto opponitur, quod autem tunc solum expectandum, cum utraque syllabae mora accentum recipere potest (scilicet est mora uocalis). Quam ob rem cum $\phi\acute{\omega}\varsigma/\phi\bar{\omega}\varsigma$ formas oppositas habemus, ne imaginari quidem aliquid simile $\kappa\lambda\acute{\omega}\psi/\kappa\lambda\bar{\omega}\psi$ potuerimus.

Latinam quidem linguam cum Arabica in Aegypto comparandam censeo, cum in utraque lingua nonnullae similes res phonologicae, in quibus apophonica uocalium correptio, in aperta syllabas notandae sunt.

OPERA CITATA

Белов А.М. 2005: Вокалическая мора и древнегреческое ударение // Experimenta lucifera: Материалы III Поволжского научно-методического семинара по проблемам преподавания и изучения дисциплин классического цикла. Н. Новгород: Изд-во Нижегородского университета. С. 65–67.

- Белов А.М.* 2008: Вопрос о морях (оппозиция арифметической кратности в греческом и латинском языках) // *Discipuli magistro* (к 80-летию Н.А. Фёдорова). М.: РГГУ. С. 53–73.
- Белов А.М.* 2009: Латинское ударение (проблемы реконструкции). М.: Academia.
- Белов А.М.* in prelo: «Проблема Феникса»: влияние конечной группы согласных на позицию древнегреческого ударения (в печати).
- Соболевский С.И.* 2000/1948: Древнегреческий язык. Учебник для высших учебных заведений. СПб.: Алетейя.
- Тронский И.М.* 1962: Древнегреческое ударение. М.; Л.
- Ahrens H.L.* 1839–1843: *De graecae linguae dialectis*. 2 vols. Göttingen: Vandenhoeck & Ruprecht.
- Bally C.* 1945: *Manuel d'accentuation greque*. Berne.
- Broselow E., Chen S.-I. & Huffman M.* 1997: Syllable weight: Convergence of phonology and phonetics // *Phonology*. 14, No.1. P. 47–82.
- Golston C.* 1990: Floating h (and l*) tones in ancient greek // *Arizona Phonology Conference*, Tucson, Arizona: University of Arizona Linguistics Department. P. 66–82.
- Göttling K.W.* 1835: *Allgemeine Lehre vom Accent der griechischen Sprache*. Jena: Cröker.
- LSJ – Liddell H.G., Scott R., Jones H.S.* *A Greek-English Lexicon*. Oxford, 1996.
- Kiparsky P.* 2003: Accent, syllable structure, and morphology in ancient greek // *Selected Papers from the 15th International Symposium on Theoretical and Applied Linguistics*. Thessaloniki.
- Kretschmer P. & Locker E.* 1944/1977: *Ruckläufiger Wörterbuch der griechischen Sprache*. Göttingen: Vandenhock & Ruprecht.
- Kurylowicz J.* 1958: *L'Accentuation des langues Indoeuropéennes*. Krakow.
- Misteli F.* 1868: Über die accentuation des griechischen // *Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung* 17. S. 81–134, 161–194.
- Probert P.* 2006: *Ancient Greek Accentuation: Synchronic Patterns, Frequency Effects and Prehistory*. Oxford University Press.
- Sauzet P.* 1989: L'accent du grec ancien et les relations entre structure métrique et représentation autosegmentale // *Langages*. 24. P. 81–113.
- Smyth H.W.* 1920: *Greek Grammar for Colleges*. American Book Company.
- Steriade D.* 1982: *Greek Prosodies and the Nature of Syllabification*. PhD thesis, MIT, Cambridge (Mass.).
- Steriade D.* 1988: Greek accent: a case for preserving structure // *Linguistic Inquiry* 19, No.2. P. 271–314.

